

Oliva

OLIVA LAURO SUAVITER ET JUSTE SOCIATA

QUAM

Juxta veterem illam Curiæ Gnomen,

HERBIPOLIS SOLA JUDICAT, ENSE ET STOLA,

Coronario opere contextam,

Recèns inuncto, ac Mithrâ verendo Vertici,

REVERENDISSIMI, ET CELSISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

D. IOANNIS GODEFRIDI

S. R. I. PRINCIPIS

ECCLESIÆ HERBIPOLENSIS

EPISCOPI,

FRANCIÆ ORIENTALIS DUCIS, &c.

Principis ac Domini Nostri Clementissimi;

ANNO,

qVo saCra CVrrebat LVX thoMæ præsVLIs angLI,



ConseCrata rosa est nobILIs herbIpoLI.

Ipsâ solennis Consecrationis Festâ Die 4. Cal. Januarij,

SUBMISSISSIMO OBSEQUIO

Offerebat

Devotissimum Societatis JESU Collegium Herbipoli.


HERBIPOLI, Typis ELIÆ MICHAELIS ZINCK, Typographi Aulico - Academici. Anno 1686

REVERENDISSIME ET CELSISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME.

DVm Sacra Tiarâ coronatus novus Pontifex ad aram accedis, cæsurus cœlo victimam; totius Patriæ ora, lingua, & animi tibi festos inter applausus cedunt in hostiam. Felix hostia! de Christiano Franconum orbe licet usurpare illud Ethnici: Hostibus à domitis hostia nomen habet. *Nempè cœlo thura incendis devicto hoste Turcico: De qua victoria cùm & triumphales clangant Aquilæ, & Laureati per imperium volent Mercurij, hinc & nos Laurum paravimus sacrato tuo Vertici, cujus orbem non tam Olivæ & Lauri, quàm de tuis factis & meritis facundæ Musæ perficiant. Quodsi nolles tamen ut Musæ longiores sint, liceat hodiernæ lætitiæ choro, tantùm duo verba interstrepere: nempe,* Suaviter & Justè. *Hoc unum sit argumentum plausûs nostri, quod prælustris Tua Virtus dictavit, Tua Celsitudo composuit stylo Heroum proprio, qui, quàm dictorum est parcus, tam est factorum facundus. Quis enim hoc* Lemma *& dici & agi in Ecclesia, in Curia, in Patria Francica non audivit hactenus experiendo, & audiendo expertus est. Certè, quam Episcopi- Ducis idem Regnorum conditores, & ipsa Herbipolensis Ecclesia suâ gnomâ quasi rudi penicillo in umbra signaverat, illam* Celsitudo Tua *vivis coloribus expressit in luce,* Justè & Suaviter. *Describitur Deus cum gladio, sed quem suavis hebetat olea; Pingitur cum fulmine Jupiter, sed loris involuto, quæ illud coerceant; Triumphat Ecclesia Herbipolensis Ense, sed quem Stola ligat, quasi sacrum vinculum: ut suavis esse non desinat, cùm justus est. His majorum Symbolis* Celsitudo Tua Lemma *non subscripsit tantùm, sed fecit etiam,* Suaviter & Justè; *adeo ut illorum virtus videatur aurora fuisse, quæ se nunc in plenum meridiem explicat, quando eluctata supra montes, &* Montem Bonum *quidem, tantâ jucunditate infunditur in subditorum mentes & oculos. Sic* Augusti *nomen* Celsitudo Tua *videtur vendicare sibi, quando* augere *non desinis prælustrem Ecclesiæ Herbipolensis gnomen hoc Lemmate,* Suaviter & Justè: *hoc est, Ensem Oleä, Oleam Ense, Iustitiam Suavitate, Suavitatem Iustitiâ; harmonicâ prorsus virtutum concordiâ. Id demum est exercere divinam illam Pæoniam, quam Christus Episcopos docuit, nempe affundere vinum & oleum, ut dum inviti partes malè cauteriatas lædunt, simul leniant. Hoc est Davidis Regna refingere, qui justitiâ & mansuetudine triumphavit in Israël. Hoc Lemma,* Suaviter & Justè, *quia dudum ingenuo charactere suspexit inaratum præcelso Tuo Genio Eoa Francia, hinc manibus tuis nuper inseruit Gladium, nunc Stolam & Pedum adjicit: non ignara, quod sic ferias ut sanes; sic sanes, ut nolles ferire, si aliud pharmacum præstò sit vulneri.* Suaviter & justè *hactenus tractâsti Gladium;* Suaviter & Justè *quoque Pedum flectes: ut flexis ad vota Tua Terrigenis & Superis, Franconia post aliquot, sua Regna videns, miretur aristas. Justitia enim & Suavitas, quæ videntur nupsisse præcelso Tuo Genio, duæ Lucinæ sunt, quibus obstetricantibus, omnes Virtutes, & cum ipsis Felicitas in Lucem nascitur. Placuit has virtutes Tuas, hic aliquot Symbolis adumbrare, & earum excellentiam velut pyramides ad umbras metiri, plus fortè offensionis ab animi tui demissione, quàm favoris ab* Illustrissimâ Celsitudine Tua *laturi, eò quòd malis velut vir fortis Sanguine, quàm propriâ laude erubescere: At, quod nunquam pœnituerit fecisse aut facere, cum audire non pudeat: Audebimus aliquid. Tam enim invitas ad hoc* Suaviter *ut nemo notam evitet, quisquis vel parum de Te loqui, vel nimium tacere præsumpserit. Tam persuades* Juste, *ut etiam siccæ Suadæ, in duobus hisce verbulis, totum & vastum laudum tuarum æquor referes. Non auderemus profundum hoc ingredi, nisi sciremus præstare pauca dicere, quàm inconsultò præterire omnia. Pandimus itaq; vela plausibus tuis, non alio celeusmate in portu coronaturi aplustria, quàm ut Tui Favonij, seros in annos, Imperio, Ecclesiæ, Patriæ aspirent* Suaviter & Justè.

Reverendissimæ Celsitudinis Tuæ

Obsequiosissimum Collegium Societatis JESU Herbipolense.



MERCURII FRANCONICI
Super vetus illud Germanorum diverbium
TEMPUS FERT ROSAS.
Explicatio & ad plausus invitatio.

***


ASsurge Franconia!
Ut felicitati, quæ tuis se finibus infert, honorem deferas:
Nec jejuna lætitiæ, mille plausus ede felix Herbipolis,
Per labra crispando voces, per ventos crispando tuum labarum;
Nam hodie, etiam extra Quadragesimam, Tibi Dominica *Lætare* lucet.
Noli fastos consulere:
In purpureis, auratisque folijs ROSA GUTTENBERGICA
Hunc diem Festum sinè fastu exhibet,
Tolle, lege:
Hic stylus augustæ Pontificum curiæ est, rosas aureas benedicere, in Dominica,
Quam Christiani Lætare dicunt;
Quibus perorant ad Orbis Magnares, & illorum amores facilè exorant, sic rosas loquendo.
Lætare Herbipolis! ter io! Lætare Franconia!
Benedicitur hodie Rosæ tuæ; Tibi ab illa, à cœlo & Ecclesia utrique,
Qualem deinceps Te circumspicies nisi Floridam,
In antiquo orbe novum prodigium.
Sed ne autumares, Te tantúm deliciaturam in floribus,
Hæc Rosa circa autumnum venit, in frugum ævo;
Flos bonæ frugis, ad omnium virtutum maturitatem perductus,
Nunc sub Capricorni sidere novâ fæcunditate subsilit,
Non tam tempori, quàm omnium commodis serviens.
Sub diversis temporibus diversus & idem.
In autumno purpureus, cum post mœroris noctem
Velut roscida Eos super Eoos-Franciæ montes resplenduit:
In hieme aureus, quando plenum lætitiæ accendit meridiem,
Felicium horarum candidus index & circulus.
Nescias an huic Rosæ hiems pro autumno, vel autumnus pro vere sit;
Ita enim flore matura est, maturitate florida,
Ut in ea una pingatur totum sæculum aureum.
Color, quem in illa prædicando suspicimus, nulli suspectus sit;
Licet enim sit tantùm combinatio illius luminis,
Quod in JOANNE GODEFRIDO semper resplenduit,
Tamen color verus est.
Purpureum dedit nativa indoles, fluens à nobili Majorum sanguine,
Aureum illivit Romana Curia, quæ hoc unum curat,
Ut adulterinum omne damnet tenebris, quò & fides, & quæ non vides,
Erroris pura sint.
Sic post Spinarum hastas, cœlum propinat haustus roseos.
Pro explicando cultu suo flores, Hæc Rosa non breve ver,
Sed totum annum & plus elegit, ut vel sic se Rosam electam probaret,
In qua, uti alia omnia, sic & ætas magna est.
Boni hanc cunctationem Franconia consule,

 Esto

Esto forsan voto tuo Seriùs exeruerit pompam amœnitatis suæ,
Est tamen beati tui Veris Primula.
Habent hoc magna, ut cunctando cuncta restituant:
Gemmæ post tot soles à cælo sudatæ, solido pretio sui pretium geminant.
Vel inde cognosce pretium Rosæ tuæ;
Quod illam primò anno tempus maturum tulit, & illud quidem,
Quo cœli Libra dies æquat cum noctibus, & calores frigore temperat;
Ut ex illius horoscopo mores *Iustos* & *Suaves* divinare posses.
Nunc ipsa hiems, quando Sol terris est propinquior, ipsam floridiorem fecit;
Ut minùs hæc Rosa videatur discedere vel à flore virtutum, vel
Virtute florum, quàm Sol à sua Ecliptica.
Divina respublica est,
In qua fascibus sic implectuntur Oleæ,
Ut nec illos rigor, nec has impunitas fascinet.
Fascibus cædere *Suaviter*, Oleis cedere *justè* necessitati omnium,
Jus est sapidissimum, jus non fastidienti Reipublicæ.
Hæc Rosa pœnarum æstus clementiâ suâ temperabit *Suaviter*,
Ultionis libram inclinabit tam *justè*;
Ut perpetuum Suavitatis Solstitium & Justitiæ æquinoctium
Miretur Franconia in suo climate.
Igitur oleum & balsama miscete magni Mystæ,
Rosam hanc sacro oleo, & profusâ operâ perpluite,
Quæ velut Sol inter hortensia Franconiæ sidera lucendo
Nullum perdit oleum aut operam
Opem ferendo multorum saluti penè deperditæ.
Tu verò Franconia
Ad hoc beatum Ver Rosæ tuæ verba & aures para,
Ad virtutum vices reponendo gratulationis voces.
Nec metuas, ne fortè dicendi metas transilias:
Omnem laudem meretur Rosa hæc, quia illam contemnit erubescendo.
Ab assentationis periculo purgavit omnem panegyrin,
Postquam virtutis famá implevit animos omnium;
Nemo audiens de illius Suavitate, judicabit exprobrari austeritatem,
Nec liberalitate avaritiam, aut vigilantiâ somnolentiam &c.
Nam conjugatione virtutum suarum, sic jam erudivit Inquilinos & exteros;
Ut eas satis admirari vel commendare nesciant.
Hinc adsit Helicon, ut virtutum Icon exprimatur pro meritis.
Tu Franconia esto Spectatrix, Admiratrix, Imitatrix.
Et quia hæc Rosa tuis terris adhuc est necessaria,
Tantùm vocibus sine illam tolli super æthera,
Hodie quidem, cum celebratur festum Confirmationis,
Ab Electione secundæ classis,
Ubi solet fieri Commemoratio in Laudibus.



Duo



Duo bajuli ex terra manante lacte & melle decumanam Uvam in vecte ferentes

SYMBOLUM I

Ducis Episcopi, suavitatem cum justitia heroico vinculo sibi conjungentis.

EPIGRAMMA.

Suavis hic & *Iustus* raram Dux exprimit Uvam,
Lac bibet hinc matris Francia, mella patris.

Emblema. *Iupiter versicolore nube splendicans per æthera vectus, in aureo imbre se terris miscet; ex quo illapsu, tanquam fœcundo connubio, surgunt in Libano cedri, in campis olivæ, in Parnasso lauri, in Iericho Rosæ, in Cades palmæ, Symbolicæ heroicarum virtutum arbores. Facit quoque hic imber exundare Nilos, spumare Ganges, intumescere Hippocrenen, aureæ felicitatis fluenta. Circumplaudunt lætæ coloniæ cum hac Epigrapha:* - ô connubia læta! ô optatos hymenæos! *Catull.*

***




Lij ex ungue leonem, Tu Franconia ex Uva hac mystica vindemiam legas,
Non musti aut meri, sed merissimarum virtutum divitem.
Licet viti cognata sit, caret tamen vitium vitio,
Quæ nusquam ferme labem evitant.
Cùm enim ulmis maritatur hedera, aut vitibus ulmus,
Unus inde nascitur Liber, qui etiam viros effœminat.
Cùm maritantur virtutes, licet sint virgines, tamen nil pariunt, nisi masculum.
Hac luce Lucina Te benè sperare jubet Franconia:
Duæ virtutes apud Te celebrabunt connubium,
Neutra tamen nubet, ducet utraque, quia utraque mascula;
Ut ut suaves sint, nil tamen illis adhæret fœmineum:
Sunt eæ, *Suavis Iustitia* & *Iusta Suavitas*,
Virgines quidem, at simul fœcundæ, ut apud Te felicitatem pariant.
Mysta simul & Sponsus est-Dux-tuus-Episcopus,
Qui pro dote illas reddet gloriosas simul & æternas;
Ne desit nuptialis annulus.
Qualem Patrem hæ matres tibi dabunt Franconia!
Probis benignum, improbis vindicem, indigis liberalem,
Indignis æquum, omnibus *suavem* & *justum*.
Iustitia enim & *Suavitas* seu ducantur, seu ducant,
Præsertim in Ducis Episcopi animo,
Et vires, & viros, & virtutes omnes animant.
Hujus dicti exemplum inspice, quod in *Bono Monte* ostenditur,
Qui postquam se his Nymphis cœlestibus Sponsum fecit,
Omnis latè Patria felicitatem parturit.
Sic cùm circa justitiæ & suavitatis polos vertitur politica machina,
Felicissimè quiescunt omnia.

Suavitas enim justitiæ gladium recudit in Secespitam,
Quâ etiam hostes pro commodo publico non tergiversantur cædi ut hostiæ:
Justitia ex *Suavitatis* olea, illud oleum elicit,
Quo duri emolliuntur ad virtutem, & molles indurantur ad ardua.
Ex stola texitur tale reticulum,
Quod dissolutos vinciat, vinctos absolvat,
Omnes faciat ambulare in libertate filiorum DEI:
Ab ense pudibundus rubor sine sanguine exprimitur;
Ut *justa* vindicta, ictus *suavis* sit,
Quæ est optima venæ sectio in reipublicæ corpore.
Novit enim quod insultantibus statim ferro insultare,
Tam sit sultanicum, quàm non Christianum est,
Omnem impietatis crucem impunè ferre.
Nec meliorem rationem feriendi inimicos, quàm illos ferre
Et mactare beneficijs.
Huic Sponso, Pierides, coronam texendo Hymenæum concinite.

Hymenæon.

Belle pusio sacrorum
Cùm Dearum, tum Deorum;
Castiorum flammularum,
Artifexque nuptiarum,
Dulce vimen, suavis Hymen,
Fronte sospes veris hospes,
Inquiline siderum!
Sume ceras, Dædaleas
Cude pinnas sive pennas:
Per vias odore bellas
Ætherisque per procellas
Lacte lotas, melle potas
Suavis Hymen advola.
Huc serenis gratiarum
Cincte turmis, floridarum
Huc onuste gemmularum
Mole, littus hocce charum
Quà profundas Mœnus undas
Volvit, imple puppibus.
Ex Sabæis arboretis,
Hesperique lilietis,
Ex amœno rure florum,
Ex agris Favoniorum,
Et ficetis ex rosetis,
Ex beatis insulis,
Carpe de croci capillis,
Floreisque de favillis,
Liliorum carpe byssum,
Et rosarum purpurissum,
Carpe rores, carpe flores
Carpe Pœsti sidera.
Flore pictas fer corollas,
Frondeas fer huc abollas;
Fer decorum veris aurum,
Quámque fert Apollo *laurum*,
Huc *olivas* flore vivas
Fer decore bajule.
Ex olivis *Suavitati*,
Exque lauris *Æquitati*,
Florulenta serta necte,
Et coronas arte plecte;
Suavitatis, *Æquitatis*
Hîc aguntur nuptiæ.
Iste *Suavis Æquitati*,
Æquus iste *Suavitati*
Præsul, igne conjugali
Atque tædâ nuptiali
Copulatur, colligatur:
Gemmeum connubium!
Ne sit asper *Æquitate*,
Temperabit *Suavitate*:
Æquitas, rem ponderabit,
Suavitásque temperabit:
Serta torna, lætus orna
Ramo utroq; Præsulem.
Túque Mœne lætiores
Adde flores, adde rores:
Gemmulis insterne cunas,
Pauculas post, crede, lunas,
Sponsus iste, Præsul iste
Æquitate, *Suavitate*
Germinabit, procreabit
Faustitatem Patriæ.

Cho-



Chorus Principalium virtutum choro, concertantibus omnibus humaniorum Musarum clasſibus, ſua encomia gratulabundus accinit.

CHORUS I

Suavitatem junctam juſtitiæ canit.

Es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuavi dulciq; ſono canitur.
Ezech. 33.

Claſſ. 1.

COelum, quod orbem circuit
In ſtelleis coluris,
Nunquam Platoni tinniit
Tam conſonis figuris;
Ut Principalis *Suavitas*,
Cùm nupſit *Æquitati*;
Ut Principalis *Æquitas*,
Cùm nupta *Suavitati*.

Claſſ. 2.

DEr Himmel mit den Sternen all
Wann er wird umbgetrieben/
Gibt kein ſo ſchönen Muſic-Schall/
Wie Plato hat geſchrieben;
Gleich wie ſchallt die Gerechtigkeit/
Mit jhren Qualitäten/
Vermählet mit der Freundlichkeit:
O was vor ein Motteten!

Claſſ. 3.

Siderei teſtudo poli, chorus ætheris ingens,
Quem lyra, quem cantu muſicus ornat olor;
Non tam ſuavè ſonat (niſi ſomniet aula Platonis)
Cùm ſalit in circo ſtelleus ordo ſuo;
Ut bene concordi ſibi nexu & fœdere junctæ,
Suavis *Iuſtitia* & *Suavita* juſta ſonant.
Hæ dum *concordant*, oritur ſymphonia *diſcors*,
Subdita quâ Princeps omnia *corda* trahit.

Claſſ. 4.

Quid Plato ſiderei crepat æra ſonantia cœli,
Olympicámque Muſicam?
Audiat harmonicas quas Princeps concinit odas,
Cœlumque dicet Marſyam.
Nam quid virtutum concentu ſuavius edat?
Quem blanda fundit *Æquitas*.
Vel quod epos metro concinnet amænius illo?
Quod juſta pangit *Suavitas*.

Claſſ. 5.

Ου περὶ ἀςρογενῶν σφαίρη ἐλθοῦσα κολούρων,
Τὸν δὲ Πλάτωνι τρόπον ἠργάσατ' ᾆσμα γλυκύ.
Ον τρόπον Αρχοντος δ' ἐνὶ ςήθεϊ ὅτε γαμήθη,
Τῇ Γλυκύτητι Δίκη, τῇτε Δίκῃ Γλυκύτης.





Salomon dijudicans duarum matrum litem ſuper vivum & occiſum infantem

SYMBOLUM II

Prudentiæ Ducis Epiſcopi.

EPIGRAMMA.

Ad quantum puteal conſcendes Francia tandem,
Cùm tuus ingreditur Dux Salomonis iter.

Emblema. *Aurea in tabula hinc ſerpens è decoro volumine caput exertans, coronato vertice, vividis oculis atq; in omnia intentis hos characteres vibrat,* juſtè. *Inde columba mitis & pacifera, candore pranitens, roſtro gerens folium ex quo fulget,* ſuaviter. *Hæc utrinq; nectit catenula aurea nodo quaſi gordio & indiſſolubili: Pictura hujus quaſi anima, purpureis his litteris aſcripta eſt:* Nil ſine Conſilio.

* * *



EN prima ex pacto connubio ſoboles,
Magnum Epiſcopi - Ducis incrementum,
Prudentia.
Sceptra, faſces, non tenere manu, ſed capite,
Coronas non ferre capite, ſed ratione,
Gladium non librare tantùm dextrâ, ſed cum deliberatione dexterè,
Hoc regnare eſt.
Tunc nihil fit ordine præpoſtero, quando inſigni hoc ordine
Tractantur Regentium inſignia.
Nam coronæ, quæ ratione nituntur,
Licet ſint loco alto, non tamen ſtant loco præcipiti;
Sceptra quæ rotantur capite, ſunt ſecura illarum manuum,
Quæ non quærunt, quàm inferias ferre Manibus.
Enſis quem librat deliberatio,
Non terebrat vulnera, per quæ vita, ſed vitioſus humor effluit
Ad ſanitatem reipublicæ.
Huc oculos, huc animum refer Franconia!
Vide ſis imaginem, quæ tibi pingit Ducem tuum Epiſcopum,
Vel quam tibi pingit Dux tuus Epiſcopus.
Mavult ille gerere Ducis caput, quàm pileum,
Pietatem quàm infulam, Laurum quàm aurum;
Non ignarus, unam Prudentiam eſſe auream virgulam,
Cujus ſolâ inflexione, ſine ſudore vel ſanguine,
Etiam ex profundiſsimis animorum latebris theſauri poſſunt effodi.
Hinc dum machinatur vellus aureum invehere ſuis finibus, fauſtitatis teſſeram,
Non Machiavelli, ſed Prudentiæ velis utitur;
Quæ, dum ſuo Spiritu, velut Favonio exſuſcitat,
Nunquam Reipublicæ navis abripitur in horrentia brevia vel ſcopulos;
Quia nihil ſpirat niſi *juſtum & ſuave.*
Tam denſa caligo, nunquam negotiorum freto incubat,

Quin

Quin ſemper in ſui oculi vel mentis acumine, Cynoſuram inveniat;
Ad quam dum navigat, nil timet immenſa oceani volumina,
Ubique ſe evolvit Prudentiâ Duce,
Quæ illi gubernaculum, remus, aura & omnia.
Sic uſque in orientalem Franciam attrahit orientales Indias,
Quæ ſacris non præficiebant niſi ſapientiſsimos.
Sic pulcherrima facies ſine nævo, ſine menda Franconiæ pingitur,
Etiam unico Prudentiæ oculo,
Quo ſine, non tam lippitudo in facie, quàm caligo graſſatur in animo:
Nam parlamenta Regum ſunt nugamenta, Curiæ ſunt injuriæ,
Sacra conſiſtoria ſunt fana, Magiſtratûs conſilium accendit ilium,
Niſi Prudentiæ face facias extingui incendium.
Hic Dux & Epiſcopus omnes has malorum lernas domabit,
Non quidem clavâ ligneâ, ſed Prudentiæ clavo.
Quod enim Majorum Deorum frater ſit,
Teſtatur Diva hæc filia.

O D E.



Uſæ comanti tempora Pegaſi
Frænate lauro, perque Favonij
Calles & Euri laureatis
Ire rotis, niveoque tergo;
Nam ſic eundum eſt; Sic jubet Impetj
Victoriarum meſsis, & aurea
Lux iſta Francorum, huc ſecundis
Pegaſides equitetis Auſtris.
Canenda magni nomina Principis,
Sonanda magni Numina Præſulis,
Qui luce ſacratâ coruſcus
Exoritur, per Eoa tempe
Amœna ſpargens ora, redux freto
Ceu quando promit lampada Cynthius.
Adeſtis? A Prudente primi
Vena fluat, ſeriesque cantûs.
Non ille Prudens qui Babylonio
Reclinis oſtro murice purpurat:
Qui lucidis ardens pyropis,
Arte, colu, phaleriſque ſplendet,
Non ille prudens. Cûi laquearia
Argenteorum murmure fluctuum
Inundat Hermus, gemmeúmve
Ripa Tagi numerat tributum,
Non ille prudens Nec cui turgida
Ancyliorum Symbola ſplendicant;
Nec ille, quem auguſtæ parentum
Circum aquilæ, lituíque clangunt.
Non iſta gignunt ſemina nobile
Prudentis aurum; res, vada, patria,
Nec aureo caſsis vel umbo
Sole micans pariunt Minervam.

C Solùm

Solùm ille prudens cui vigil excubat
In mente Pollux, qui ſit in horridis
Pharos tenebris, qui per altos
Sit pelagi cynoſura tractus.
Quæ mentis almo numine *Suaviter*,
Iuſteq; quamvis fertur in orbitam,
Hæc palma palmas cœdet, iſthæc
Iliaco manus apta ſceptro.
Qui ſphinge mentis turpè frementia
Domare novit monſtra proterviæ,
Ille Argos, ille Ianus omni
Per titulos memoresque faſtos
Canetur ævo. Brachia, robora,
Hoc abſque nervo ſunt ſine robore,
Et mole ſub quavis fatiſcunt
In proprias ſtimulata cœdes,
Nam conſilî expers vis malè proruit:
Virentis alni filia, cùm natat
Carina ponto, quando *prudens*
Clavus abeſt, petulantiori
Fit luſus Euro. Mentis acumine
Agenda res eſt: Vertice, non manu
Olympiam molem ter amplus
Voluit Atlas, geniale fulcrum.
Noëmus orbis naufragi in æquore
Primus Columbus, mente natatiles
Rexit Penates, mente Scyllas
Et decimos cicuravit æſtus.
Prudentiæ ævum quàm tibi malleo
Felice ſudat Francia: Francia
Quos quæris in Prudente vultus,
Præſul habet GODEFRIDUS omnes.
Fœtum peritâ geſtat Atlanticum
Caput Minervâ, molibus arduis
Aptum rotandis, hoc micantem
Franconicum bene volvet orbem.
Exaſperatis dimicet Africis,
Seu mollicellis ludat Eteſijs
Mœnana Tethys, ille cymbam
Tiphys aget, bene doctus inter
Utrúmque vultum Tethyos hoſpitum
Legiſſe portum, ſicque volubiles,
Prudens Columbus ad novum illum
Elyſium ſuper aſtra mundum,
Straviſſe fluctus. Quem tibi Neſtora
Donant in iſto Præſule ſidera
Franco! aſtra donatote *mentem hanc*
Neſtoreos ſuperare mentes.

CHO-

CHORUS II

Prudentiam canit.

Diligite lumen Sapientiæ omnes, qui præstis Populis.
Sap. 6.

Class. 1.

QUod solis est præsentia
Ad aureos colores,
Virtutis hoc *Prudentia*
Certè inter est olores:
Hæc quando tangit musicum
Prudens Thalia plectrum;
Nil majus: hîc vel opticum
Ægypte pone sceptrum.

Class. 2.

DJe Farben dann recht spielen vor/
Wann sich das Liecht vermehret;
Dann regt sich erst der Tugend Chor/
Wann Er die Klugheit höret:
Wann diese singt / sich alles gibt/
Auff wöllen oder müssen;
Auch auff dem Scepter muß Aegypt
Sein kluges Aug zuschliessen.

Class. 3.


Gaudia tum picto rident vernantia prato,
Cùm Phœbi roseo stat Pharos alta polo.
Virtutum chorus omnis ovat, *Prudentia* quando
Carminat argutæ fila diserta lyræ.
Hæc sacri Regina chori, cantusque magistra,
Cedit ei victas Orpheus ipse manus.
Quin etiam pharij cedit vigilantia sceptri,
Clauso oculo, en, *prudens* illius audit epos.

Class. 4.

Quando Phœbe tuos mundo subduxeris igneis,
Nox lata rebus incubat:
Nullus honor florum, rutilat fax nulla colorum,
Sed totus orbis horror est.
Tu quoque si divam retrahis Prudentia flammam,
Ut carbo virtus nigricat;
Ceu Dea sidereas poterat quæ vincere nymphas,
Ut turpis horret Zingara.

Class 5.

Εἰς γῆν ἥλιος χρυσοείδεα χρώματα πάσσει·
Εἰς ἀρετὰς ἑτέρας χρῶμα Φρόνημα χέει.
Η πλήκτρου ὅτε ὕψαιτ᾽ ἂν Φρονέουσα Θαλειά,
Σκήπτρου τοῦ λιβυκοῦ ἅπτεται ὀμμοφόρου.



Elias ictu pallij Jordanem dividens & ſicco pede pertranſiens

SYMBOLUM III
Fortitudinis Ducis Epiſcopi.

EPIGRAMMA.

Tangunt non tingunt *Fortem* freta cœrula: pingunt
Non pungunt Tyriam dira vepreta *Roſam.*

Emblema. *In menſa ebena ſtat rotundata Martis phiala, quam non Vulcanus inanium Deorum faber, ſed doctæ mentis Spientia ſic conflavit. Viſuntur in ea quatuor anſæ, & fundus geminus, ſcintillant clavi aurei, refulgent intus Pleiades Atlantis filiæ cum Lemm.* Suaviter & Juſtè. *Tantum huic phialæ pondus, ut nemo niſi ſenex & fortis Neſtor ferre poſſit. Philoſophus opere plaſtico repoſtus ad unum poſtem hujus phialæ, ſcribit ſequentia: Rotunditas mundum; quatuor anſæ, 4. cardines; duo fundi, duo elementa graviora; clavi aurei, ſidera, Pleiades & Atlantem ſignificant.* Epigraph: fortem quoq; Neſtora vinces.

***


Eſpondere ad Salvatoris illud poculum Herculeum,
In quo propinabat ſalutem binis illis Hebræis fratribus,
Non tam linguæ ſacræ, quàm germanici & fortis pectoris eſt.
In hoc poculo enim ſuſtinenda veniunt plurima, non manu, ſed animo.
Hoc poculum alij ſuſtinere poſſunt, quia poſſe videntur,
JOANNES GODEFRIDUS
Poteſt, quia poſſe probavit.
Nullus turbo tam magnus incurſat, quin ipſum omnibus inveniat majorem.
In ſparta tam grandi quâ ipſum oneravit Franconia,
Quam ipſe ornavit hactenus,
Spartanum ſe præſtitit, ſed Germanum,
Quem ſuamet indoles ſignavit verâ fortitudine, non tantùm illius charactere,
Ut quondam Spartanos impreſſa lancea.
Gigantem dicas, qui etiam montes transfert,
Olympum ex Theſſalia in Franconiam,
Quem ipſe cubis reſſelat, Fortitudinis & Conſtantiæ teſſeris.
Nam in ipſo velut monte olympico, etiam dum popularis aura fluctuat,
Serena ſemper celebrantur Alcedonia.
Ipsa Roma, quæ à robore & fortitudine dicta quondam *Valentia,*
Herbam videtur porrigere Herbipoli,
Quæ *valet* contra omnes fortunæ inſultus ſub hoc DUCE Epiſcopo,
Qui victoriarum palmam non circumfert in toga palmata, ut Romani triumphatores,
Sed in animo, rerum humanarum Domitore
Strideant adverſitatum flammis æſtuantes Ætnæ,
Hic Dux Epiſcopus ſcit aurum eſſe;
Mare fluctuet, Roſa eſt, cujus folia ſupernatant.
Ictus minentur mallei, omnibus adamatus adamas eſt;
Mars ſæviat, ipſe tenet gladium;

Furant

Furant venti, frigidi Septentrionis filij, *Mons bonus* est,
Qui leves insultus ridet non metaphoricè,
Illi pectus non congelascit à metûs frigore, cui à virtute induruit.
Lex Julia, quæ rescindit contractus metu factos, in hunc nihil statuit,
Qui in rectis semper stat erectus ut statua.
Hanc virtutem & indolem, quam suxit cum lacte,
Lactâsse videtur vite Francicâ,
Quæ dum jugatur erigitur; recisa, non minuitur sed augetur.
Lyram hic Orpheus tractat non cœlestem, sed diviniorem,
Quæ plus tensa, musicam reddit intensiorem.
In hujus Atlantis Zodiaco nullas periodos Luna habet,
Nisi confirmationis in rebus turbidis.
Sic à Regum indole non degenerat, quorum etiam nomen suum facit,
In omnibus enim sibi constans CONSTANTINUS est.
Triumpha Franconia!
Sub tui Ducis Episcopi fortitudine & constantiâ,
Etiam extra Thraciam,
Brevi in Herbipoli habebis Constantinopolim.

O D E.



Ortem vocabis, nil trepidantibus
Qui nixus alis, faustior Icarus,
Sonantibus rixis flagrantem
Calcat humum, fugiente pennâ.
Sic vana rerum nubila penneis
Qui transfretavit puppibus, aurea
In pace, sudo mentis astro
Bellicrepum speculatur orbem.
Nihil movetur, seu variabili
Depexus auro Phœbus amœnior
Nascatur orbi, seu peremptus
Hesperiâ tumuletur urnâ.
Seu ripa Mœni stertat inutili
Sepulta somno; flammivomentibus
Seu comptus alis sol gelatas
Igne secet fluvij catenas.
His non movetur Fortis in edito,
Trans Regna mundi, climate: lucido
Hæc spectat astro, nec procella
Nigra minis ibi fuscat auram.
Seu purpurato Phœbus in essedo
Fastigiatam purus inambulet
Tonantis aulam, gemmeúmve
Signet iter rutilante curru,
Seu luctuoso firmate luridus
Tempestuosis nubibus obtegat
Pictos jugales, & decorum
Cimmeriâ caput abdat umbrâ:
Seu torvus atrâ fronte Diespiter
Opaca nimbis nubila mergere
Luctetur, humentésque largùm
Pleïades lacrymare cogat;

Seu criſpiſulcus fortè tonantia
Flammante libret ſpicula dexterâ,
Quercúſque nutantes, cedróſque
Fulmineo populetur auſu.
Ad iſta Fortis ſtat velut ærei
Baſis coloſsi. Cernin' amabiles
Vultus Eliæ, quem levavit
Flammivomo ſuper aſtra curru
Serena virtus; Quo pede vitreas
Jordanis undas *fortis* inambulet,
Perîcla ponti nil moratus,
Quæ tetrico ſtomachata vultu.
Seris revulſis, carcere liberi
Bacchantur Euri, flatibus Africi
Furunt protervis, in profundo
Ipſa tremit Galatæa regno.
Rixata ventis unda reciprocis
Fremebat iris, Scylla ſonantibus
Latravit undis, & minaci
Fauce ſpuit tumidas procellas.
Nil hinc Eliás territus, aſperas
Calcavit undas, torva per æquora
Mites vias, ſudo ore, more
Alcyonum ſibi ſtravit, undas.
Quo vela Muſæ? Francia, Francia
Fortem virili pectore Præſulem
Oſtentat; Illi Muſa Flacci
Fatidico repetat cothurno,
Quod luſit olim. Diſsiliant poli,
Conſtante vultu *Hic* chaſmata viderit:
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.
Ceu fluctuantes per cava vallium
Nubes olympus deſpicit, æmulus
Sic altioris mentis uſque
Sidereo GODEFRIDUS ore
Spectat caducas, quas coquit aut rotat
Sors cœca nubes. *Mons Bone, Mons Bone,*
In æviternum ſic Olympum
Per varios ſolidare caſus!



CHORUS III
Fortitudinem canit.

Ab auditione mala non timebit. Paratum cor ejus ſperare in Domino.
Pſalm. 111.

Claſſ. 1.

EXplodat æther fulmina,
    Et ignibus fatiſcat,
Ut celſa fument culmina,
    Et pontus ingemiſcat;
Perculſa nullam contrahit
    Hinc *Fortitudo* ravim,
Sed portui ſic invehit
    Cantans ſerena navim.

Claſſ. 2.

WAnn ſchon das grimmig Wolcken-Heer
    Sein Stück löſt vnd Carthaunen/
Das Berg vnd Thal/ ja Wind vnd Meer
    Darüber faſt erſtaunen;
Ein Heldenmuth ſingt dannoch fort/
    Fragt nichts nach ſolchem bellen/
Im dickſten Sturm find Er ein Port
    Auch mitten in den Wellen.

Claſſ. 3.

Jupiter eliſis diſplodat nubibus ignes,
    Et reboënt toto fulmina rauca polo;
Ut Rhodope, vel Athos, vel tacta Ceraunia telo
    Plangant, & querulo littora muta ſono.
Heroum ad tantas pectus nil palpitat umbras,
    Nec patitur gelido verba rigere metu:
Sed cantat, cantánſque feras ſus-deque procellas,
    Et tutum in medio turbine littus habet.

Claſſ. 4.

Quamvis fulmineis cœlum tonet omne procellis,
    Tellúſque læſa mugiat;
Aut furor armatas Acheronticus exerat iras,
    Non palpitat cor maſculum.
Nempe virum fortem terrebunt fulmina? Martem
    Fragor movebit inſolens?
Talia compoſitis ridet diſcrimina ſannis,
    Velut Priapos Hercules.

Claſſ. 5.

Αν Ζεὺς ὐρανόθεν βάλε τιτανόκλονον ἔγχος,
    Γῆ δέ τε πᾶσα κάῃ, πᾶσα θάλαττα τράμῃ.
Ου δ' ἔχιν Ανδρεῖαν ταραχή. ὑδάτων δὲ γελῶσα
    Η δε μόνη ἀφύβως τ' ἰυρέα νῶτα τρίχει.



Vellus Gedeonis in ſicco madidum, in madido ſiccum.

SYMBOLUM IV

Temperantiæ Ducis Epiſcopi.

EPIGRAMMA.

Hic Dux aſtra ſitit, ſacros date ſidera rores;
Non ſatiat tantam lympha profana ſitim.

Emblema. *Argnonavis ædificata ex tabulis, quas lignum vitæ ſubmiſit ad fabricam. Criſpata laurus pro malo, Pegaſeæ alæ pro velis, quibus phrygio opere intextum*, ſuaviter. *Hæc vela per ſcopuloſum marmor perniciſſimo volatu promovent unum Iaſonem cum lecta Heroum manu, uſq; ad portum cujuſdam fortunatæ Inſulæ, cui cæruleo maris colore inſcriptum*, juſtè: *Ex cavo littore, ſeu vox, ſeu Echo hujus imaginis hanc reſponſabat* Epigraphen: Menſæque, epulæque recedant.

* * *



Cire abundare & penuriam pati, Apoſtolicum eſt.
Hanc dictam ipſe DEUS Modimperator maxumus ſcripſit
Non in papyro niliaca vel charta bibula,
Sed in ſobrio illo volumine, Gedeonis vellere,
Quod madidum erat in ſicco, ſiccum in madido.
JOANNES GODEFRIDUS
Extra & clauſo hoc libro lectionem inde didicit,
Ut quod intus latet myſterium,
Tantò firmiùs imprimeret memoriæ & moribus.
Menſas ille celebrat magis condítas quàm opiparas,
In quibus nunquam deſideratur ſal Sapientiæ:
Verè Platonicas,
Quæ etiam remotæ adhuc ſapiunt poſtridie.
Sic paucis contentus vincit plurima;
Solis menſas, Perſarum luxum, Græcorum Prytanæum, dapes ſiculas,
Medorum cymbia, & ſaturam lancem voluptatis.
Nam qui plus bibit ex his, minus bibit;
Minus ex his comedens plus comedit:
Medicorum hoc paradoxum eſt;
Temperantis Ducis Epiſcopi hoc apophthegma eſt:
Indecorum eſſe dominari populis, & vinci poculis,
Terrarum eſſe dominum, & fieri ſervum abdominis.
Temperandum utrumque, qui regere vult *Juſtè* & *Suaviter*,
Ne ipſe ſui ſervus imperet alijs.
Multi dum ſe ſe nimis ingurgitant,
Cleopatrico luxu ſimul regna deglutiunt,
Abbreviantque unà cum gloria, vitam ingloriam.
Sæpius in vino, quàm in aqua naufragium patitur Salus,
Et plures germano more bibendo,
Quàm in mari germanico, vitam ſepeliunt.

Palato quod in palatio alitur,
Nihil præter Deum, & conſcientiæ bonum ſapiat.
Ad hoc ferculum jam dudum oblonavit famem ſuam
JOANNES GODEFRIDUS
Cui nullum jus tam ſuave, quàm divinum,
Nullum condimentum tam dulce, quàm virtutis, *Suavitatis* & *Juſtitiæ.*
Cùm enim ſuavis ſit, non vult madere vino, qui terræ cruor eſt;
Cùm juſtus ſit, intemperantiam æquitati inimicam,
Et ſuam hoſtem habet;
Atque quod temulenti duplicia videant omnia,
Mavult ille connivere,
Quàm per ſcyphos & lances ſic fieri lynceus.
Minimè quærens aut cupiens ut in vino ſit illa Veritas
Quod agat omnia *Juſtè* & *Suaviter*,
Sed in modo operandi heroico, ac pene divino.
Immortalem hunc Præſulem promiſiſſent veteres Ethnici,
Qui credebant homines ſolâ viâ temperantiæ ad immortalitem graſſari.
In ſola enim temperantia inſtaurantur Hebrææ gentis priſcæ deliciæ,
A quibus p..cus omnis excluditur,
Macelli non ſacelli, cœni non cœli victima,
Et beata pinguium avicularum tempeſtas ad animum delabitur.
Adeſte nunc gentes exteræ!
Et videte portentum in Franconia,
Germ.num & Principem temperantem.

O D E.


Voluptuoſæ cedite belluæ,
Inebriantis fluminis amphoræ,
Bacchi Charybdes ventricoſæ,
Et tumidi calicum trahones!
Ad veſtra vobis vota, Philoxeni
Emenſa longis colla decempedis
Stagnent Lyæo, turbidámque
Alvus alat malè farta Scyllam.
Hac ſorte craſſum ſidus Aquarij
Beet gulones. Prandia pinguibus
Fumoſa lardis, farcta bobus,
Et ſcythicis adipata ſilvis
Paſcant Creontes. Sumina, penimata,
Et ſumptuosè ſtructa tragemata,
Vitellios, Getas, Vopiſcos,
Romuleæ fera monſtra menſæ,
Largùm ſaginent: Herculeo ſcypho
Natare doctis per freta Maſsici,
Deprome quadrimum ſabinâ,
O Thaliarche merum, diotâ.
Mero ſepulti, cædibus horridas
Proflent Nerones pectore crapulas,
Terræque profuſo cruore
Purpurei madeant Tyranni.

Hæc ſpuma Jacchi non ſine naufragis
Inſanit undis : vah ! quoties fretum hoc
Non decoloravêre cædes!
Dardaniam quoties cruento
Lusêre buſto & funere Troïam
Meri bibones ! Sæva Neceſsitas
Quot gurgite in vaſto Lyæi
Impoſuit, malè naufragatos,
Cymbæ Charontis ! Plus vice ſimplici,
Furore poto percitus Atreus
Menſas Thyeſtéas paravit,
Quas refugo Pyroënte Titan,
Retróque flexis curribus horruit:
Furens Jacchus quot Lapithas dedit?
Quot fecit auguſtos Penates
Sanguineis ſtrepuiſſe rixis?
Tam lacrumoſis pocula næniis
Fœdare Thracum eſt. Tollite barbarum
Hunc Teutones uſum, ſuâque
Quas celebret GODEFRIDUS aulâ,
Spectate Menſas. Sobria *Suavitas*,
Et Suavitati concomes *Æquitas*
Huîc temperant dapes, & ipſum
Socraticâ ſaturant diœtâ.
Hæc imperantem fercula Principem,
Hæc temperantem bammata Præſulem
Beatiùs paſcunt, Deaſtri
Quàm cerebrum Jovis, & vomentes
Crœſi cululli, vinaque turgidis
Caſtrata ſaccis. Sic ſine nubibus
Omnes ſerenus ſpectat horas,
Sive cavas nigra nox per umbras
Volans, corulci detegat ætheris
Tot mille flammas ; Seu coma Phoſphori
Exſulcitet decus diei,
Et croceos levet amne vultus.
Non parca Parcas ſtamina ſic jubet
Neviſſe vitæ ; ſic quoque Laureas,
Ex Cypridos fractis ſagittis,
Parthenios metit in triumphos.
His temperanter Præſul hic aureis
Paſcatur eſcis ! Interat, interat
Ejus patellis mille vitas
Mille & olympiades & annos,
Juncta *Æquitati* ſobria *Suavitas*!
Donec beatis arcibus ætheris
Repôſtus, in cœtu Deorum
Sidereum bibat ore nectar.

CHO-

CHORUS IV
Canit Temperantiam.

Diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam; & ſtatue cultrum in gutture tuo. Proverb. 23.

Claſſ. 1.

Quid blanda Siren pellicis?
Vanum celeuſma fundis:
Abſiſte, nil hîc proficis
His ſobriis in undis;
Nil blandiens, nil oſcitans
Poteſt vorago talis,
Si navigans eſt temperans
Ulyſſei Sodalis.

Claſſ. 2.

Sirenen ſteckt die Pfeiffen ein;
Hier gilt nichts ewer locken;
Auch in dem Meer / ſo mit dem Wein
Angſchwämbt vnd faiſten Brocken:
Das ſüſſe Gifft hier niemand prüfft;
Ihr müſt zu ſchanden werden/
Wann der ſo ſchifft faſt übertrifft
Ulyſſem an Gebärden.

Claſſ. 3.


Navivori ſcopuli, fraudes, pelagique latrones
Sirenes, vitrei monſtra guloſa ſali;
Rupibus & ſurdis ſua carmina fundit arenis,
Quæ canit in veſtris perfida Suada labris.
Ebria nectareo ſpument licet æquora Baccho,
Atque Cleopatricas ſuggerat unda dapes;
Si freta Dulichius tam pinguia navigat Hoſpes,
Non capit, aut ullum decipit eſca virum.

Claſſ. 4.

Blandula mellitis, quid Siren pellicis eſcis?
Doloſa cede beſtia!
I, pete fœmineam, prægnantis matris, orexin,
Philoxeníque guttura.
Degeneres animæ, pingui gens nata culinæ,
His implicantur retibus.
Non ita prudentes ſtolidè capiuntur Ulyſſes,
Quos mens ineſcat ſobria.

Claſſ. 5.

Λήγετε τῆς λιγυρᾶς Σειρῆνες ἀηδόνες ᾠδῆς,
Λήγετε κλειομένοις ὦσι κέλευσμα λέγειν.
Τοῦ γὰρ Ὀδυσσῆος μεγαλήτορες ἄνδρες Ἑταῖροι
Οὐ τρομέουσι κακῶν τὰς ἁλύσεις στομάτων.





Samſon ſolventibus ſuum ænigma manubias hoſtium diſtribuens

SYMBOLUM V

Liberalitatis Ducis Epiſcopi.

EPIGRAMMA.

Nemo manu hîc metuat populos Samſona domantem;
Nil niſi donantem porrigit iſte manum.

Emblema. *Fluvius argenteis labens verticibus, veſtitu viridiſſimo hinc inde formoſus, arboribus latè comantibus, centeno fructu, mirabili copiâ exuberans. In ripa viſuntur panes candidiſſimi in picturatis quaſillis, quibus adſtat hominum globus emicans ad nutum Regis, qui ſublimis in ſella curuli, cui lacteo ſucco inſcriptum* ſuaviter & juſtè, *non tam auro, quàm Sapientiâ coronatus fundit oracula. Epigraphe:* Ad præmia velox, fluvios ſuperabit Iberos.

***

NE Franconia querelas contra Terram deponat,
Quaſi injuſta noverca eſſet,
Quod non & illi dederit montes aureos ſicut Peruviæ;
Cœlum in illa *Montem Bonum* poſuit, omnium egeſtati pervium:
In hoc etiam aureum, quod nullum aurum recondat,
Niſi in liberalis animi ſcrinio fermè infinito,
Unde ſemper eſt aliquid accipere.
Vel ideo Celſiſsimis montibus ſimillimus,
Quorum genius eſt, undas in valles demittere
Ut supremè exhauſti, nunquam tamen exareant:
Et quia velut reges terræ ſunt,
Se flexili ſubjectorum rivulorum coronent obſequio.
Diſſimilis tamen Tauro, Aſiæ monti longè Celſiſſimo,
Qui nullum cornu præſefert niſi copiæ;
Cùm enim *Iuſtus* & *Suavis* ſit,
Præter ſuum, non ſuum quoque largitur cuilibet.
Sic ex hoc monte deſcendunt omnia,
Niſi quando GODEFRIDUS aſcendit,
Ut è ſublimi loco egenorum penuriam circumſpiciens,
Omnium neceſſitati proſpiciat;
Satis ſe divitem æſtimans,
Quando de ſuo poteſt ſublevare aliorum inopias,
Et tergere illorum lacrymas, quorum oculos nunquam vidit,
Eoſq; prævenire manibus, qui non valent accedere pedibus;
Imo & pannoſis panem diſpergere.
Verè pius in ſuos Pater,
Cui tot aræ, ad quas offerat, quot hominum miſeriæ ſe offerunt.

Felix

Felix Patria ex cujus Celſiſſimo monte talis nubes pendet!
Quæ dum depluit, ſiſtuntur rorantium oculorum pluviæ:
Dum enim aurea tempeſtas liberalitatis in pluviam ſolvitur,
Pauper, inſtar iridis roridæ, in fletu ridet.
Hanc liberalitatem GODEFRIDUS inter artes liberales hauſit,
Quibus liberale ſuum ingenium ſic opulentavit à teneris,
Ut provectus ætate & dignitate,
Semper poſſet indulgere liberali genio.
Ab illa Maxima fortium jam ſui Regiminis duxit exordium:
Principis eſſe, ferrum tenere, æs effundere;
Regum eſſe portare orbem, à quo portantur;
Non alio viſco meliùs capi animos, quàm per liberalia viſcera;
Nuſquam copioſiore meſſe amorem legi, quàm ubi ſeruntur gratiæ;
Nec ullis paſſibus glorioſiùs à quoquam cœlum ſignari,
Quàm ab eo, qui nixus pauperum humeris illud ingreditur.
Si hoc facundiæ aut faciundi genere Princeps perorat,
Nullus egens ſe pupillum dicat,
Cùm ipſe ſit omnibus pater, quibus Patria eſt mater.
Petat gratiam qui volet,
Nemo liberalem orat, quin facilè exoret:
Diſertus hîc orator, deſerti oratio;
Eodem comate & audiri & exaudiri abſolvitur.
Qui talis inter avaritiæ & prodigalitatis maria Iſthmus eſt,
Illum non labor Iſthmius, ſed quieta ſuorum tranquillitas,
In hoc terræ pugillo clarabit cœli Pugilem.

O D E.


Ranco Ceilanas quid avarus ore
Eſuris gemmas? Peruana quid te
Aureis latè variata glebis
Arva fatigant?
Quid ſitis Gangem, rutilóſque fluctus,
Colchicum littus quibus intumeſcit,
Farta quid nummis opulentiora
Regna Phraates?
Quid paras unctas tibi Tiphys alnos,
Quid ſtruis remos, Pagalæa ducto
Vela, quid luſum Boreis protervis
Stamine texis?
Terga quid Nerêi lacerare tentas
Naufragâ puppi? rabidis latrantes
Quid petas Scyllas canibus, feras quid
Ore Charybdes?
Sole quid coctos alio laceſſis
Limites, quando patrijs in arvis
Fluctuat fulvis, rutilante culmo,
Meſſis ariſtis?
Ille flos picto cycladatus oſtro,
Sidus hortorum, charis & voluptas
Chloridos, Gutten-Roſa-bergiorum
Stemmatis aſtrum;

Illa gemmarum cataphracta testa,
Illa rorantis cataracta cœli,
Illa fœcundi catadupa Nili,
Illa Phraates.
Illa Gangæos dabit ire rores,
Illa Pæstanos rutilare flores,
Illa Lydæos redijsse mores,
Francica Pyrrhe.
Nam quod ex largis Rosa casta suxit
Siderum mammis, velut alma mater
Lacteis lubens radijs in ora
Subdita fundet.
Ceu Tyrus fulvo temulenta succo,
Cycladem læto variat colore;
Franconum læto Rosa sic colore
Limina tinget.
Aureis sese tumidas stupebunt
Fluctibus ripæ: neque fabuloso,
Najadum magnum decus invidebit
Mœnus, Hydaspi.
Vere felici, populis Eois,
Vitreâ fontes glacie fluentes,
Crispulos montes folijs comantes,
Illa recludet.
Per suum coget Zephyros tepentes,
Æolj suaves laris inquilinos,
Spiritus lenes animasque molles,
Ire virerum.
Læta per valles sua tum reductas,
Musa silvarum nemorúmque Siren,
Daulias, docto philomela plectro
Carmina funder.
Picta pratorum facies amœnâ
Fronte ridebit, reliquíque flores
Gemmeo, ad morem Dominæ Rosai
Rore madebunt.
Inde tum pleno velut ex Hymetto,
Francici prædas revehent coloni,
Atque distendent avidas Hyblæo
Nectare cellas.
Quid? quod & dulci hoc satiata rore
Uxor Autumni bene mustulentas
Spondeat mammas, Bromijque plenos
Numinis utres?
Et Soror Bacchi cereale marmor,
Spiceis latè tumidum procellis,
In quibus lætus natitet recurvâ
Falce colonus.
Tam bonos fontes reserabit, istud
Copiæ cornu, refluumque pectus,
Franciæ, *Mater Rosa liberalis*
Pandet Eoæ.

Iste

Iſte fons tantis fluet auctus undis
Publicus : potet Codrus, Irus inde;
Vult bibi largis cyathis ab his, &
Omnibus ultro,
Dum per aſtrorum rutilum theatrum,
Cynthiæ pernox vigilabit ignis;
Dum rubro ſpargent jaculata ſulco
Sidera flammas;
Dumque frondoſis phalerata criſtis
Flora per vernos equitabit hortos,
O decus florum Roſa Francicorum
Vive! perenna!

CHORUS V
Liberalitatem canit.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Iſa. 12.

Claſſ. 1.

Cùm Nile glebas incipis
Ægyptias rigare;
Cùm larga dextra Principis,
Munuſculis ſonare:
Hic luſus eſt hydraulicus
Iri, Codrique causâ;
Colonus hunc & Aulicus
Auſcultat abſque pauſa.

Claſſ. 2.

Deß Nili ſieben Waſſer Teich/
Wann ſie ins Land außfließen/
Deß Fürſten Hand an Milde reich/
Wann ſie ſich thut außgieſſen:
Da ſetzts ein lieblich Waſſer-Spiel/
Mit dem nichts zuvergleichen:
Es hörens gern ohn maß vnd Ziel/
Die Armen vnd die Reichen.

Claſſ. 3.

Cœrula quando Thetis ſeptena per oſtia Nili
Tranat, & in pharios expatiatur agros;
Magnifici ſe quando *Ducis* pia dextera pandit,
Et pluit in laceros aurea dona ſinus;
Illa facit ſpicêis campos undare procellis,
Erigit oppreſſas caſibus, iſta caſas.
Omnia tunc gaudent: *Cor, ador, cumq; æquore marmor,*
Et luctus *generis neutrius* eſſe cupit.

Claſſ. 4.

Cernitis ut bibulas Ægyptius erigat aures
Ad grata Nili murmura,
Quando per exſuccos fœcundus labitur agros,
Et ſicca potat gramina.
Pronius & dextras & pronius applicat aures,
Suprema gens & infima,
Cùm pluit effuſo Princeps bene prodigus auro,
Alter Codrorum Jupiter.

Claſſ. 5.

Εις ἀνύδρυς ὅτε Νῖλε ἄγρυς σωτήρια λείϐῃς
Ρεῖθρα, δίδως βιοτὴν χόρτεσι τοῖς τε πόαις·
Καρποφορεῖ ἡ πᾶσα γέη, καὶ Φραγκονὶς ἄυλη
Τὰς ἐυεργεσίας ἂν Γοδεφρίδε σπάρης.

Sacrificium Abelis cœlitus inflammatum

SYMBOLUM VI

Religionis & Zeli Ducis Epiſcopi.

EPIGRAMMA.

Quid *Ducis*, aut aras ardere ſtupeſcis Abelis?
Ignibus æthereis arſit uterque priùs.

Emblema. *Caligo denſa ponto & terris incubans, omnem cœlo diem eripit. Labitur per Rebelles maris ſpumas periculoſo tramite tenuis Scaphula; vel Chriſti, vel Petri naviculam diceres. In fronte gerebat teſſeram* juſtè. *Ex ripa adlucebat Pharos, ex nube adflabellabat Zephyrus, ex cœlo per cimmerium hoc chaos promicabat Cynoſura. Tres iſtæ Charites conflabant illud triſyllabon:* Suaviter. *Supra naviculam quaſi colore iridis ſcripta legebatur Epigraphe:* Tendimus Elyſium.

* * *


Bi præſident Numæ, nemo timeat,
Seu tumeant fluctus, ſeu humus fluctuet,
Numina ibi ſemper propitia.
Cùm in urbium aris ardet veſtalis focus,
Quem conjurati fratres Neptunus & Æolus ſuffocare non poterant,
Non erumpit incendium, neque videtur naufragium,
Quia lux olympica eſt, nullos accendens turbines.
Alcedonia ſperate Mœnicolæ!
Veſtræ undæ fortunam vehunt ſupra Cæſaris proſperam,
Religionem veſtri DUCIS - Epiſcopi,
Quàm raram inter homines, tam ſuperis charam:
Notate curſum quem tenet;
Natat *Juſtè* & *Suaviter* inter cœli jubila, & terræ nubila,
Omnes tempeſtates quæ volunt illudere, habens ludibrio.
Natat *juſta*, ut iter teneat medium,
Natat *Suavis*, ut torvas rugas placet irati pelagi,
Natat cauta, ut cautes evitet.
Ad illas fortunatas tendit Inſulas,
Non ubi meridianus primus, ſed meridies æternus extenditur,
Ut infortunatos omnes ad fortunas provehat.
Veſtigia ſignat in elemento infido quidem,
Fidelia tamen & plana, quia in æquore & marmore.
Bonæ ſpei promontorium jam ſalutat,
Ut nemo felicem deinceps curſum & portum deſperet,
Hoc Teucro Duce, & auſpice Teucro.
Navigium ipſi firmum fides eſt,
Pro vento Zelus, pro velis voluntas, pro malo bona intentio;
Spes anchoras, funes ſubminiſtrat charitas:
In ſpecula excubat vigilantia,
Pro acu magnetica Amorem tractans,

Ut

Ut ſecuro tramite omnes ad polum trahat,
Cùm à *Duce* ſic ducitur populus,
Nullus timendus eſt ſcopulus,
Ad quem alliſa ſalus vel eat in fruſtra,
Vel fruſtretur Elyſio,
Vellus aureum fert, non aufert hic Jaſon,
Quem hæc una virtus facit non Æſonis, ſed Jovis filium,
In hoc omnibus majorem,
Quod ſe ſic Deo minorem gerat.
Sic navigare & ducere, eſt Palladium inferre Troiæ,
Et Romæ Ancylia:
Verbo,
In vitrea humanæ ſortis baſe contabulare felicitatis palatia.
Ita ferre gladium & clavum, ut non tantùm *juſtè* & *Suaviter*,
Sed etiam *Religiosè* feratur,
Hoc eſt illum in trinodem clavam transferre,
Quæ facit Herculem Alexicacum,
Hoc eſt:
Malorum omnium, terrâque maríque propulſatorem.

O D E.


Ormidoloſis fluctibus obrutam
Vides carinam; cernis in aſperis
Eccleſiæ cymbam procellis,
Per medias equitare Syrteis.

En ut procellæ rictibus oſcitent,
Cœcæq; nubes fulminibus tonent,
Et Gorgone armati furores
Perniciem meditentur alno.

Vides ut atræ Regna Proſerpinæ
Excita diris poſtibus impias
Valvas revellant, ipſe Pluto
Ut ſtygio furietur œſtro;

Ut alma ſævo turbine ſtet fides
Vallata! nec jam ſuſtineant onus
Nautæ laborantes, feráſque
Hæreſeon metuant pharetras.

En ut Megæræ flamma per invidas
Exundet artes fulminis in modum,
Totúſque conjuratus Orcus
Chriſtigenûm quatiat carinam.

Tempeſtuoſas contra Erebi minas
Diviniori percite claſſico,
Tu ſcuta, tu parmas, ſacrúmque
Tu lituum GODEFRIDE ſtringe!

Quoad Sorores integra ſtamina
Vitæ revolvent, frœna Licentiæ
Compinge, ne ſpretis lupatis
Indomitâ ſtrepitent phreneſi.

Beabit ausus hos favor ætheris,
Et auspicatâ provehet alite:
Tu sonticos sistes furores,
Tu rabidas marium inferorum
Frœnabis iras: Tu Telamonio
Umbone fortis, murus aheneus
Vallabis omnes, Tu colossos,
Quos superûm stupeant Penates,
Duces in altum; Tu sacra Pergama,
Tu Christianis castra Quiritibus,
Portúsque, portásque excitabis
Firma tuæ monumenta gentis,
Quæ nec favillis Mulciber exedat,
Nec Ætna fumo Trinacris eruat,
Quæ rideant enses & arcus,
Fluctisonas petra sicut undas.
Tum luctuosùm desinet horridi
Stridere Averni turba, receptui
Tum luridæ canent phalanges,
Tum stygiæ fera monstra Lernæ
Discordiarum murmura squallidis
Mergent tenebris, sibila Gorgonum
Tum conticescent, nec rotabunt
Eumenidum fera flagra tædas.
Sic gloriosâ laudis adoreâ
Te cinget ætas posthuma, Te libri
Loquentur omnes, prædicabit
Te memorem tuba docta vatum,
Quà purpuratis Æthra jugalibus
Revectat Indo lumina gurgite,
Quà noctis index Hesperugo
Fusciolis oritur Goanis;
Quà plaustra *septem* - frigida stellei
Vertunt - *triones*, quà Zephyrus suos
Fixit penates, Amphitritæ
Quà Rhodanus sinuosus almæ
Maritat undas: Bajulus ætheris
Quà canus Atlas incubat Alpibus,
Et rorido Nereus tridente
Turrigeras quatit orbis oras.
Sic clarus orbi nominis ignibus,
Ages triumphos ad capitalia
Cœlorum, ubi micabis inter
Empyreas, nova stella, stellas.



CHO-

CHORUS VI

Religionem canit.

Ante Dominum qui elegit me &c. & ludam, & vilior fiam plùs quàm factus sum. l. 2. Regum. 6.

Class. 1.

HIc Orphei recuditur
 Amphionísque nervus,
Quo tracta quercus luditur,
 Et cum leone cervus;
Nam quando Diva canticum
 Hæc intonat profundum,
Totum choreuma cœlicum
 Juràris esse mundum.

Class. 2.

DEr alten Spieler Sayten mild
 Seynd noch nicht gar gesprungen/
Warmit sie Wäldern vnd dem Wild
 So lieblich vorgesungen:
Wann dieser Baß * vor Gottes Macht
 Eins descendendo singet/
Springt alles auff/ vnd vongeacht
 Der Erd/ nach GOtt sich schwinget.

* Religio *Basis virtutum.*

Class. 3.

Non omnes veterum tumulavit Arionas ævum,
 Flebilis haud totas sorbuit urna cheles.
Thracij adhuc multum spirat de Manibus Orpheî,
 Qui nemus & cicures traxerat arte feras.
Quæris ubi? dicat tibi Relligionis imago: Hæc
 Quando canit sacris Dia Camœna metris:
Videris haud tantùm motare cacumina quercus,
 Sed mundum choream dixeris esse sacram.


Class. 4.

Non vilis (Momus mihi credat) musica res est,
 Magnete turget entheo:
Hoc trahit Amphion cautes, trahit Orpheus urbes;
 Quid porro speres Zoile!
Jam reputa superis Pietas quid polleat oris,
 Divina terræ Psaltria.
Ipsa vel æternum cantu trahit ilice Numen,
 Victámque cœli curiam.

Class. 5.

Νῦν ἀναλαμβάνομεν μεγάλου Ἀμφίονος ἔργα,
 Καὶ τάδε Ὀρφαϊκοῦ θαύματα πάντα χρόνου.
Τὰς φαύλων, κ᾽ ἀγαθῶν κραδίας, θηρῶν τε καὶ ἀνδρῶν
 Τοῦ Ἄρχοντος ἐπεὶ θεοσέβεια σπάσει.





Joseph Pharaoni explicans Somnium

SYMBOLUM VII

Affectus erga litteras in Duce-Episcopo.

EPIGRAMMA.

Franco fac ut pingat tibi dulcia Somnia Morpheus,
Dux tuus ut Joseph omnia vera leget.

Emblema. *Lymphæum purissimorum fontium lusibus mobile, inexhausto cratere, cui inaratum* Suaviter & Juste, *limpidissimas venas propinat, quæ fœcundâ facundáq. diluvie per rivulos diductæ, quoddam prati pavimentum, diversis flosculis quasi tessellatum, jucundè illuminant. Balneant in his rivulis sua vellera cygni, humectant sua rostella lusciniæ, in riparum opaco deliciantur Musæ, cum tota Parnassi supellectile. In albicantibus, quæ inde saliunt bullulis, amœnâ lucis repercussione legitur hæc Epigraphe:* Phœbi omnia plena.

***

MUltitudinis mensura est numerus, longitudinis pes,
Trutina ponderis, rectitudinis norma & amussis,
A Musis instructus Princeps felicis Reipublicæ.
Divinum testem Platonem appello,
Qui omnes cupiebat aut Philosophos reges, aut Reges Philosophos,
Credo ut meri Alexandri essent, mudi possessores,
Cùm mundum scire, illum possidere sit.
Post quem enim montem aut murum orbis quiescat tutius?
Quàm sapientis & Litterati Principis, cui nihil auferri potest,
Et qui docet omnes habere omnia, cùm nihil desiderare.
Ubi sic conspirat popularis aura & Principis,
Aurea exspectentur tempora,
In queîs terra Parnassum, cœlum Palladem pariat,
Par nobile pignorum,
Quæ felicitatis penicillo pingunt omnia.
Nam Pallas sub ferrea galea circumfert caput aureum,
Quo non designat nisi successus aureos.
Seu eundum in campum Martium, seu pulverem artium,
Utrinque campi Domina.
Non assueta sterilitatem è campis fuso cruore auferre,
Quia pingui Minervâ nihil agit;
Sed dextris olivam, verticibus laurum afferre,
Novo & jucundo belli exercitio,
In quo sagum est toga, ensis calamus, acies ingenium,
Atramentum sanguis, pileus doctoralis galea, lorica epómis, Lycæum campus;
Hæc bella sunt bella, non ploranda

Sed

Sed oranda matribus, canenda seris Nepotibus
Tubis versis in versus heroicos.
Sic dum calamo metuntur lauri, nulla in patria existit calamitas;
Nec metuenda sunt noxia soli vel poli spicula,
Ubi majores umbræ de Parnasso cadunt.
Nam quà Phœbus sub lauro canit,
Non audent nigræ nubes fulmen excutere, vel majestate vel suavitate deterritæ.
Nec pilus quidem turbatur Reipub. ubi Musæ tractant pectinem.
In securitate natant omnia,
Ubi ex montium latebris nascuntur Pegasei latices,
Ex quibus scaturiunt oratores in templis, Doctores in Scholis,
Scriptores in eruditis monumentis; verbo, omnia virtutum munimenta.
Periclitatur tamen improbitas;
Nam Pegasus in hoc monte se erectans, equus Trojanus est,
Meros Heroës recondens in utero,
Uterinos virtutis fratres,
Qui omnes, ut Pœnus Hannibal, jurârunt ad aras sanctioris Minervæ,
Se tamdiu pœnas sumpturos de ignorantia & vitio,
Donec ex moribus labem, ex urbibus scelera, ex commercijs injustitiam,
Extra orbis limites impietatem eliminârint,
Ut Aurora Francica deinceps è roseo cubili pregrediens
Orbem Eoum sibi aspiciat concolorem,
Hoc est, aureum.
Quæ hìc suada fermè poëticè dixit,
Tu metire JOANNES GODEFRIDE,
Seu placet per circulum, sive per lineas.
Quemcúnque circulum circa hoc punctum scripseris, tibi parallelus erit,
Ex quocunq; puncto ad Te lineam duxeris, erit tangens recta.

O D E.


Pegaséæ, Mons & eburneæ
Servator undæ! qui sacer ætheri
Et Delphico fidus Parenti
Castalium vehis imbre nectar;
Quis huc Minervæ gymnada penniger
Portavit Eurus? Quis bonus Advenam
Favoniani turbo flabri
Remigeræ tulit arte pennæ?
Tuique fontem jussit ad æquoris
Vitale stagnum ducere melleos
Quietis arcanæ Sopores,
Et placidum trepidante labro
Libare nectar? Da redolentium
Pater Rosarum, da bone candidi
Pater favoris, huîcque turbæ
Pande tuos *Bone Mons* liquores.
Isthoc rigati fontis ab Entheo
Vates fluento, non humili tuas
Laudes arabunt in colosso,
Sed memori solidâque cedro
Scribent præalti Symbola nominis,
Et gloriosi lemmata stemmatis,
Quo fonte derivata vena hæc
In patriam populúmque manat.

Hæc ripa quondam fonte tuo ebria,
Non indisertis clanget oloribus,
Et tinniet latè per orbem
Doctiloquis variata linguis,
Quêis una vox sit : Pierij vige
O præses amnis ! vive *rosaceni*
O amnis illibate *Montis*,
Vive novâ viridis juventâ.
Nox nulla claris invida laureis
Affundet umbram nominibus tuis;
Te oblivio nunquam jacere
Immemori patietur urnâ.
Per garrulorum culmina montium,
Pulsásque rupes, laus tua perstrepet;
Et laureato vecta curru
In mediis radiabit astris.
Plaudent Apollo, & Mœonidum chori;
Dignam sonabunt laudis adoream
Pindi recessus, dicet Hæmus
Insolito redimitus igne:
Suo rotentur donec ab orbitis,
Terramque pingant igne vel æquora,
Aurata stellarum theatra
Ignifluis radiata flammis,
Donec citatis littora Nerei,
Et regna Ponti flumina cursibus
Lambent, & oras quas Cayster
Perpetuis resalutat undis.
Florente donec chloris in esſedo
Ridebit inter Veris Imagines,
Vivet superstes nomen orbi,
Et superûm tua fama terris.

CHORUS VII
Canit affectum in Litteras.

Quis tribuat ut omnis populus prophetet? Num. 11.

Class. 1.

PArnassus, illa montium
Lux, quando spargit umbras,
Et Pegasus Dux fontium
Doctas propinat undas;
Bibens salutem Patria
Tum labra tingit auro,
Se séque comunt atria
Ducum virente lauro.

Class. 2.

EIn Guter Berg gleich wie Parnass
Wo Er hinwirfft sein Schatten/
Wo Freyer Künsten Brünnlein nass/
Durchstreichen grüne Matten;
Da gilts dem Land/ da kans einmahl
Auff künfftig Glück entlehnen/
Da kan ein Fürst sein Thron vnd Saal/
Mit Lorbeer-zweig bekrönen.

Class. 3.

Quà patrios fines Parnassia laurus inumbrat,
Tempora Phœbéis circumamicta comis.


Caſtalidum quà mella fluunt, & Pegaſis unda
    Semineum vitreo proluit ungue ſolum.
Spumat ibi ſacri vindemia muſtea Phœbi ,
    Fluctuat Aonidum laurea meſſis ibi.
Has epulas inter poſſunt bene dulcibus eſſe
    Fortunis ſaturi , *Dux* populúſque ſimul.

Claſſ. 4.

Non ita Franconicum ditant Vineta Ducatum,
    Suo nec Evan maſſico;
Sicut Apollinei locupletant culmina Pindi,
    Doctíque lympha Pegaſi.
Patria ſi clariis his ſeſe proluat undis,
    Næ tota fiet aurea.
Et ſi ſe talis cingat munimine tellus
    Tum tota fiet Laurea.

Claſſ. 5.

Τῶν δὲ ὀρῶν τό Ορος τὰ σκιάσματα ἄντολε βάλλῃ
    Πηγασίου δὲ ποδὸς ῥεῖ τὸ διδακτὸν ὕδωρ
Τῆς δρυὸς ἐκγίνεται δάφνη, ῥόδος ἐκ δὲ ἀκανθῶν,
    Πᾶν δὲ πέλει σοφία Κασταλίδων τὸ πόμα.



David paſtoritius Leonem & Urſum interficiens

SYMBOLUM VIII

Vigilantiæ Ducis Epiſcopi.

EPIGRAMMA.

Vertite terga feræ! Lituo, dextrâque Davidis
    Tam vobis lævâ, DUX gregis iſte ferit.


Emblema. *Hinc in florido ceſpite dum ſparſi greges innocuè tondent cityſum, Argos quidam centoculus, innixus ſilveſtri olivä, mulcet & agnos & paſcua cantu arundinis, cui eleganti toreumate inuſtum legitur*, Suaviter. *Inde in vicino luco; quo velut opaca margine hic campus texitur, ex ſacra quercu pendens vellus aureum cuſtoditur à Dracone vigili, in cujus ſquammis ceu clypeis effulget*; juſtè : *Epigraph.* curat oves, oviumq; magiſtros. *Virgil. Ecclog.* 2.

***



Ptimus cuſtos cœlum eſt, ſemper vigil,
Nihil illud celari poteſt, quod tegit & detegit omnia.
Interdiu Cyclops uno oculo tuetur & intuetur univerſa;
Noctu Argos centum luminibus uni terræ invigilat.
Licet aliquando claudat magnum oculum, non dormit tamen,
Et licet dormire videatur, vigiles tamen & apertos habet oculos;
Stationem vigiliarum, nunquam mutans vigilias.
Quando decumbit, exurgit; quando occidit, oritur,
Semper in ortu, motu, & vigiliis;

Cupiens omnia videri & esse, præterquam Endymion.
Iter tot millium passuum, ipsum non lassum facit,
Tot artes quas continuò exercet, ipsi artus non ligant:
Nihil ipsi somnum suadere potest, nequidem cadentia sidera:
Ne ipse diei pater unquam fiat noctis amicus,
Aut somno sepultus jaceat, unde vitam exspectant omnia.
Vigilare semper, unica est cœlo quies.
De his vigiliis terrigenæ felicitatem somniare possunt,
Non ad portam eburneam, sed corneam,
Per quam Maro nulla transmittit somnia, nisi vera.
Nam hæ cœli vigiliæ, beati veris sunt pervigilium,
In quo pruinâ vernâ candent lilia, & cor explicant aureum,
Violæ inviolatæ serpunt per thoros floridos,
Rosæ verecundo rubore, quem gaudium prolicit, purpurant,
Omnis hortus, ut florum, sic gaudiorum varietate ridet.
Et ne hæc gaudia muta sint, consonant omnia,
Cicadæ stridendo in campis, lusciniæ cantillando in silvis
Apes bombilando in Hybla:
Omne pecus luxuriat,
Etiam illud quod pascitur in campo sidereo,
Ubi cœli vigilantia mœrores & horrores omnes dormire facit.
Ululent ibi centauri, murmuret ursa major & minor,
Fulvi leonis rubicunda stent lumina flammâ,
Siderei greges non metuunt lupum, nec stellarum armenta leones,
Satis armata sui cœli vigilantiâ,
Quod latrat molossis Sirijs contra hosce prædones,
Et pedo stellis cælato leones petit,
Suisque circulis velut carectis obsepit omnes semitas,
Ne via lactea, quà Suaviter greges ad pastum ducit,
Unquam incestetur vestigio sanguinis.
Grandis Atlas fert suas oviculas humeris,
Quas pascit floribus merè roseis.
Felix grex siderum qui non è dumosa, sed stellata rupe pendes,
Et de te tanta cura impendet pastori tuo.
En! quem pastorem terra in cœlo habeat.
An similem pastorem Cœlum in Terra habet?
Ad
JOANNEM GODEFRIDUM Ducem & Episcopum Eoo-Franciæ
Verte mentem & oculos,
Advertesque illum toto Zelo convenire cum cœli vigilijs.



ECLO-

ECLOGA

Tityrus, *Alcon.*

Tityrus. QUàm pecori gratus frondentia tecta revisis
Urbe redux Alcon! memora quid fama per amplas
Cantet ibi plateas Magno de Daphnide nostro.
Aute venis saturâ; nam cùm procul inde moveres,
Incessus mihi signa dedit. *Alcon.* Lætissima cantat
Urbs omnis, cœlúmque hilari clamore lacessit.
Tityr. Ain' tu hoc Alcon? *Alcon.* Potui vix tanta citato
Gaudia dissimulare gradu. *Tityr.* Ne differ, amabo,
Longiùs hac famâ charum recreare Sodalem;
Nubila multa mihi, tetricâ quæ fronte gerebam,
Absterges teneroque gregi velut auricomus Sol,
Insolitâque meos flectes dulcedine sensus,
Umbrarum dominos ut flexit cantibus Orpheus.
Alcon. Tityre quid referes tam nuncia fausta ferenti?
Tityr. Polliceor nigram ac distentam lacte capellam.
Alcon. Excipe sed læto, mea nuntia, pectore. *Daphnis*
Franciados columen gregis almum, & gloria ruris,
Quod secat & vitreâ Mœnus Pater irrigat urnâ,
Dicitur Ausoniûm nunc tandem à sede Quiritum
Accepisse pedum, maculis hinc inde coruscum,
Gemmis præfulgens varióque toreumate pictum,
Et sacrâ virtute potens, quo damna Molorchi,
Et gregis Harpyas, diráſque Lycaonis iras
Arceat à stabulis: lituo hoc ceu pervigil Argos
Collibus advertet patulis & montibus altis;
Ut deinceps nostris currant læta otia caulis:
Immo (nam hoc ipsum gens Urbica læta sonabat)
Franconicum hoc lituo velut Atlas fulciet orbem.
Tityr. Vincitur Alconis cantu Cyllenius ipse!
Quid melius poterant Saturnia cernere regna?
Evax! formosi pecoris formosior ipse
Cœruleo Custos Daphnis delapsus Olympo.
Alcon. Tityre tu vincis laudatum Alcona canendo.
Tityr. O! utinam possem carmen depromere dignum
Daphnide, eum æquaret magno mea tibia Pani.
Me tamen insequere ô Alcon, tenuique cicutâ
Daphnida cantantem, majori vince Camœnâ.
Cypria tres numerat, numerat Phœbea sorores,
Turba novem: Clarius nunc annuat augur Apollo!
Franciados Daphnin numero gens utráque vestro,
Pierides decimam, Charites adjungite quartam.
Alcon. Argos centoculo pascebat lumine vaccas,
Atlas millenis circumspicit orbibus orbem;
Est oculus totus, totus vigilantia Daphnis.
Tityr. Nascitur è silvis arbos, ex arbore rami,
E ramis flores, fructus è floribus, herbæ è
Semine, caute frutex, radij Titane corusco,
Flumen ab Oceano, prodit de flumine torrens;

At decus omne mihi ſolo de Daphnide manat.
Alcon. Intonſi montes nunc pulſent ſidera plauſu,
Compoſitoque feræ teſtentur gaudia curſu,
Applaudant ſilvæ, per prata virentia fontes
Carmina cùm nequeant, quæ poſſunt, murmura fundant.
Tityr. Ludite lanigeræ, per campos ludite, turbæ!
Non ego vos poſthac timido projectus in antro
Spinoſa de rupe procul pendere videbo.
Ludite lanigeræ, per campos ludite, turbæ.
Nunc etiam ſine me per ſepta ſalite capellæ,
Nunc Agni tuti virides balate per herbas;
Námque novi veris Daphnis recluſit honores:
Nunc rabidos ridete lupos, jam ſpernite tygres,
Daphnidis in noſtri ſaltu proludite amores.
Alcon. Ante leves ergo ſalient per ſidera damæ,
Aut annona metet natas in littore fruges,
Antè, datis letho fatis, errare videbo
Per ſilvas pecus æquoreum, & ſilveſtre per æquor;
Quàm cadat è memori poſthac mihi pectore Daphnis.
Tityr. Antè, mihi pecus ut creſcat, lea nupſerit hirco,
Aut ſubnixa jugo veniat cum tygride cornix,
Sirius antè nives generet, vel bruma cicadas,
Et matutini ſurgant à veſpere ſoles,
Quàm mihi ſit potior, quàm noſtro Daphnis amori;
Alcon. Dum cityſo paſcentur oves dumque æquore piſces,
Dum Pollux caulas, rapidas cynoſura carinas
Dum ducet, vitæ producat ſtamina Daphnis.
Tityr. Sol ruit, & magnæ ſerpunt de montibus umbræ;
Craſtina cum jaciet rutilas Aurora favillas,
Nigranti ob cantus Alcon donabere caprâ.

CHORUS VIII

Vigilantiam canit.

Concentum cœli quis dormire faciat? Job 31.

Claſſ. 1.

Dormire neſcit ſtellei
Concentus ille mundi,
Uſque audiuntur mellei
Cantúſque mille fundi:
Pro Francia, tam ſedulâ
Hac excubante Curâ,
Et tuta ſunt, nec muta ſunt
Arbuſta, Regna, rura.

Claſſ. 2.

Wer iſts / fragt Job der Wundermann /
Wer kan uns diß verſchaffen?
Wer iſt ſo gſchickt der machen kan
Deß Himmels Thon einſchlaffen?
Ich frag wer kan ein Fürſten-Wacht
Mit einem Schlaff einſüſſen?
Dieſelb allzeit / bey Tag und Nacht /
Wacht über Feld und Wieſen.

Claſſ 3.

Quis ſiſtat Phaëthontis equos, quis frœnet Olympi
Tam volucres currus, Pegaſeáſque rotas?
Arctoi quadriga poli non audit habenas,
Sed meat effuſis irrequieta ſonis.

Et


Et pigra *præluſtres* ſopire papavera *curas*
　　Ulla queant ? Morpheô Principis aula caret:
Sed vigilat, vigilántque ejus ſine nocte favores
　　Aris pro patriis, pro patriíſque focis.

Claſſ. 4.

Non eſt Endymion cœlum, ſed pervigil Argos;
　　Pigrum repellit Morpheum.
Huîc canis ambroſios fruſtra Cyllenie ſomnos,
　　Vanam reconde tibiam.
Sic inconnivis vigilat pro Francone curis
　　Magni Pronœa Præſulis.
Quàm ſecura ſuis gaudebit Francia votis;
　　Dum ſic hic Argos excubat.

Claſſ. 5.

Οὐκ ἔςιν καταπαυθῆναι πολύγλωττον ὄλυμπον,
　　Δόγματα θεῖα λαλεῖ πάντοτε πάντα γένη.
Φραγκονίδος Γοδεφριδιακὴ μεριμνῶσα Πρόνοια
　　Καὶ κακὰ πάντα βλέπει, καὶ κακὰ πάντα φέρει.



Eliſæus filium Sunamitidis à morte ſuſcitans, ſeſe componit ad ejus ſtatuam

SYMBOLUM IX

Comitatis Ducis-Epiſcopi, quâ fit omnibus omnia.

EPIGRAMMA.

Tantùm unum extraxit gelidis Eliſæus ab umbris;
　　Ad ſe blanda Ducis *Suavita* quemque trahit.

Emblema. *Aula ſpatioſa diverſis columnationibus faſtigiata, aureis laminis magnificè incruſtata, ſublimi fornice ingenioſè concamerata, in cujus ſupremo laqueari abſconditus inſignis Magnes medio aëre pendulam ſuſtinet quadrigam ferream, equum Bellerophontis ferreum, columbam Archytæ ferream, ut quondam in Serapidis templo videre erat. Omnibus his ſic in æthere fluctuantibus manus Dædala inſculpſerat* Suaviter & juſtè. *Vigore ſuo animabat imaginem hæc Epigraphe :* Ut ameris, amabilis eſto: *Ovid.*

***



Vſtus ut palma florebit ; Purpurati vatis præſagium eſt.
Si & *Suavis* eſt, palmarem fœcunditatem exſpectate,
Nullis metretis vel metris menſurabilem.
Quam veritatem trabeata Davidis manus ſcripſit,
Hanc natura trabali charactere expreſſit & impreſſit
In palma Indica,
Quæ tam prodigioſa fertilitate fert omnia

I 2　　Ut

Ut appetitus humanus qui plura sitit & esurit indies,
Præter hanc unam nihil desideret.
Scinditur illius lignum in asseres, acuitur in clavos,
Erigitur in malum, tornatur in remos, tabulatur in naves,
Ut etiam per materiam solidam fluat ad vota hominum.
Illius folia macerantur in stuppam, gyrantur in funiculos,
Exporriguntur in rudentes, cavantur in imbrices, texuntur in vela,
Ut velificetur commodis omnium,
Et nihil hominibus, ne imber quidem incommodet.
Illius liquor stillat in vinum, pinguescit in oleum,
Corrumpitur in acetum, densatur in Saccharum,
Ut misceat utile dulci:
In humore suo humana, in comis arboreis comis, in trunco utilis,
Non è trunco dolata *Suavitatis* magistra.
Hoc philtrum erat non veneficio, sed beneficiis ebrium,
Quod inescabat vicinos, invitabat exteros, capiebat omnes
Comitatis reti & amoris hamo,
Imo trahebat nostrum orbem pene extra orbem in Indiam
Potentiùs quàm magnes ferrum, aut stuppam succinum,
Non qualitate occultâ, doctâ illâ Philosophorum ignorantiâ,
Sed Suavitate, & apertâ benefaciendi Scientiâ.
Quod Elisæus erat uni defuncto filio, microcosmo,
Hæc palma est omnibus, megalocosmo,
Triste lethum domans, lætam vitam donans,
Flore, dulcore, humore, sapore, odore.
Silvam ejusmodi palmarum nemo quærat;
Cùm enim stirps comis & urbana sit, nescit silvescere.
Ex millibus una sufficit.
Non omne solum est ferax hujus arboris, illa tamen ferax est omnis soli,
Orientalis præsertim, quia Solis imitatur genium,
Qui secum læta facit oriri & florere omnia.
Dictum hoc probat præsul Orientalis Franciæ
JOANNES GODEFRIDUS
Sub cujus Suavi comitate Divina Providentia florere cupit hanc patriam,
Ad invidiam palmæ Indicæ.
Et potest certè præ palma Indica palmam spondere sibi,
Cùm adhuc sub primo flore,
Præter incolumem, comem & Suavem suum Præsulem,
Nemo quicquam charius desideret.


O D E.



Cis bene quàm nostro tum pandat cardine Mundo
Lætum theatrum Roscius,
Dulcisonósque choros;
Cùm Rosa punicei Regina tenerrima campi
Sub vere primo coccinas
Exerit ore comas;
Et latè tyrios fundit per prata colores,
Pæstique per Rosaria,
Hesperidúmque plagas.

Vere

Vere novo tumidum cùm fragrat Adonidis æquor,
Et flore ſtagnat chloridis
Alcinoïque jugum.
Biſſina liligeræ cùm ſpargunt vellera turmæ,
Cygnis ut ipſis æmulo
Candida lacte fluant.
Cùm reſonans Hybla mella ſpuit, cum dulcis Hymettus
Ex intyborum melleas
Cortice ſudat opes.
Gens opifex mellis cùm dulcibus ebria lymphis
Inter ſuſurros Dædalâ
Conſtruit arte favos.
Cùm vaga per nemorum cantrix philomela Penates
Glyconium vel atticum
Circinat ore melos.
Cùm veniens Croceis Aurora, puerpera lucis,
Bigis Eoo littore
Purpurat omne ſolum.
Cùm gemmis rutilos Lucis Pater exerit ignes,
Sudiſque picta ſolibus
Ætheris aula micat.
Hæc joculans eſt Scena ſoli, lepidúmque theatrum,
Hæc læta ſunt ſpectacula,
Aſſaracíque chori,
Iſta movent, hæc corda trahunt, & fortiùs urgent
Quam Gallicanus Hercules,
Herculeúsve lapis.
O! tenues ſtipulæ, laceri ſine funibus hami,
Quos terra texit, cordibus,
Ætheriúſve labor.
Inſpice ſuaviloquam quam pingit Gratia frontem,
Labella, mores, in quibus
Suada diſerta ſedet.
Inſpice delicias, hybleas inſpice gazas
Mons Bonus Eoæ Franciæ
Quas GODEFRIDUS alit.
Omnia vel dices nihil eſſe priora, vel una
Hujus ſuavis Præſulis
Conglomerata ſinu.



CHORUS ULTIMUS
Canit Suavem comitatem.

Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos: & lingua eucharis in bono homine abundat. Ecclesiast. 6.

Class. 1.

QUis jam negabit musicum
Virtutis esse cœtum?
Dum *Suavitatis* canticum
Sic audit esse lætum:
Ut arte vincat Arcticos
In attrahendo plexus,
Ut vincat arte Gallicos
In vinciendo nexus.

Class. 2.

EIn Music ist der Tugend-Schaar/
Die über alles klinget;
Die Freundlichkeit machts offenbahr/
So alles zu sich zwinget:
Trutz jenem Stern / nach dem so fern
Magnetstein offt seynd gangen;
Trutz jenem Mund / der alles kundt
Mit güldnen Ketten fangen.

Class. 3.

Nunquid virtutes cantant? Sit Gratia testis,
Quæ fluit Hyblæis Præsulis ore favis.
Suavior hæc illo est revolubilis ætheris astro,
Quo grave Magnetum pondus amoris agit.
Suavior electri est Magnetis & illice, cujus
Suavia vel ferro basia suadet amor.
Suavior est, aurêis qui traxerat omnia vinclis
Hercule; nam morum nectare quemque trahit.

Class. 4.

I nunc phonascam virtutum concine turbam,
Gentem fatere musicam.
Nunquid te talis delectant carmina cœtûs?
Mastyx licet sis musicæ.
Arctica navarchos rapiunt minus astra Columbos
Dum vasta tranant æquora,
Et minùs Herculeæ stringunt cor vincula linguæ,
Quàm talium vis cantuum.

Class. 5.

Τῇ χρυσὸν ἐν γλώσσῃ, Φοῖβον τ' καὶ ὄμμα φαείνα
Αρχων. θαῦμα τί ὂν ξώσιμός ἐς' ἀρετή.
Θαυμάσιον, πάλαι εἶπε Πλάτων, τὸν ἔρωτα φυτεύσῃ
Εν ψυχαῖς ἀρετὴ ξώσιμος ἂν βλέπετο.



EPILOGVS.

Jámne vides, qualem dederint tibi ſidera patrem,
Eoe - France, commodis
Obſequioſa tuis ?
Aſpicis, inſignis quàm præſtet fulgure dotis,
Rariſque vitæ laureis,
Quæ meruêre Pedum ?
Non ita florigerâ vernaverit annus in Hyblâ ;
Virtute Præſul floreâ
Ut novus iſte viret.
Non ita formoſis cœlum ſe compſerit aſtris ;
Sacris ſuum ſcientiis
Compſit ut ille Caput.
Non ita nativis ornantur littora gemmis ;
Ut proprijs Hic dotibus
Emicuiſſe ſolet.
Non ita Pæſtani decorantur floribus horti ;
Ut ille morum gratijs
Eloquijque favis.
Non ita lucivomo pulcher ſol fulgurat auro ;
Ut luce dignâ gloriæ
Splendicat illa ſuæ.
Hunc ergo feſtis gens excipe Francica votis ;
Lætis corona plauſibus,
Milléque clange modis !

FINIS.



